

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Galien / Jamot, Frédéric (éd.). Claudii Galeni Pergameni paraphrasis in Menodoti Exhortationem ad liberalium artium studia.**

*Paris, F. Morel, 1583.*

*Cote : 7110*

CLAVDII GALENI  
PERGAMENI PARA-  
PHRASIS IN MENODOTI  
Exhortationem ad liberalium  
artium studia.

EX DES. ERASMI ꝑ N-  
terpretatione, à Federico Iamotio Medico  
recognita, & Annotationibus illustrata.



FED. MORELLI DISTICHON.

*Iste GALENVS opes tibi conferet, addet honores:  
Quique Galenus erat, Iustinianus erit.*

LV TETIÆ,  
Apud Fed. Morellum Typographum Regium,  
via Iacobeæ, ad insigne Fontis.  
M. D. LXXXIII.  
CVM REGIS PRIVILEGIO.



FEDERICVS IAMOTIVS  
MEDICVS PETRO ET  
CAROLO FILIIS S. D.



*M* omnium artium genera, quibus vita utilitatem capit atque excolitur, laudanda sint, tum verò imprimis ea, quibus ad virtutem eruditur & informatur, amplectenda videntur. Homines enim cum à Deo Opt. Max. ad virtutem geniti & facti sint, si virtutis & honesti expertes vivunt, non vivere, sed mori & funerari potius dicendi sunt. Atque ea quidem cum duabus rationibus consent, præceptis tradendis atque exemplis proponendis, quorum primum philosophia, alterum historia suppeditat: quæsitum diu & disputatum est, utrum laude dignius, utrum fructuosius vitæ humanæ bene beatæque degendæ esset. Et quidem philosophia ut benè vivendi fons, ita artium omnium parens, quin vitæ in omnes partes ad virtutem & omnia officia conformandæ & erudiendæ planè necessaria sit, nemo est, nisi immani & barbaro ingenio præditus, qui negare audeat. Ea ignorantia tenebras discit: ea non solum viam publicam, sed & calles & semitas omnes, quibus cuique insistendum sit, præscribit & indicat. Ea virtutis indagandæ, vitiorum expellendorum, legum inveniendarum, morum & disciplinæ constituendæ præcepta tradit. Sed ea cuiusmodi sint tum demum intelligimus, cum usu & experientia se proferunt, dum observata, hominibus fructum & gloriam, spreta autem & violata, dedecus & damnum attulisse videmus. Nam donec verbis duntaxat sine ullis euentis, quid fugiendum, quid sequendum sit, idque angustis & concisis disputationibus illigata, ut ait Antonius apud Ciceronem, breuiter & satis aride docent, minus afficiunt, inque hominum animos minus altè descendunt. At dum observata in magnum decus extulisse, magnas opes & commoda peperisse: contempta verò exitium infamiamque attulisse legimus, expergiscimur, commouemur, exuscitamus. Adde quòd aculeis maioribus extimulamur, cum id non spinosè & ieiunè, sed ample, copiosè, & ornatè nobis

nobis velut in speculo representantur. Quæ cum nobis ex historia à viro docto & diserto conscripta contingant, quis est qui non assidue eruditorum hominum historias manibus versauerit? Danda est igitur vobis opera, Filij, ut ne sic philosophiam amplectamini, ut interim historiam relinquatis: imò, quod ait Flaccus, de arte & natura, Alterius cum Altera poscat opem res, & coniuret amicè: ijs potissimum scriptoribus plurimum tribuatis, plurimum & temporis & diligentia detis, qui philosophiam cum historia, id est, præcepta cum exemplis coniunxerunt & copularunt. Quem in numerum referre licet Aristotelem, qui in ijs libris, quos de Republica scripsit, quantum hæc exempla ad vitam rectè constituendam profutura sint, satis arguit, dum huius generis propemodum infinitis sua decreta confirmat, & ijs productis, quid sequendum in vita, quid fugiendum sit, edocet. Verum enimverò doctorum omnium iudicio & testificatione constat, Plutarchum in ijs, qui philosophiæ historiæque coniunctione clarent, longè principem locum obtinere. Neque enim quisquam est, qui aut vberiore rerum copia philosophiam persecutus sit, aut præclarioribus exemplis è media historia petitis ornauerit atque illustrarit. Itaque non illepidè vir quidam doctissimus dixit, Plutarchi opera moralia esse aulæa quadam diuersis verborum, sententiarum & exemplorum coloribus picturata: ut eo nomine vnus inter Latinos Græcosque philosophos ac historicos studiosè ab omnibus legendus esse videatur. Non dubium est tamen, quin Galeno quoque medicorum ( Hippocratem semper excipio ) facile principi, hac in parte suus constet honos. Id ex hac vna exhortatione ad bonarum artium studia perspicere licet, quam à Menodoto quadam rudi tantum opera scriptam & quasi adumbratam, Galenus paraphrasi expressit ac perpoliuit: vobis hisce miseris atque perditis temporibus non minus necessariam quam vtilem futuram. Plurimis enim tum sententijs tum exemplis monet adolescentes, diuitiarum, formæ, nobilitatis & virium gloriam fluxam esse atque fragilem: solam artium cognitionem claram æternamque haberi: ut omnium adolescentium studia excitari debeant ad laudandarum artium scientiam, quæ & parandæ veræ gloriæ rationem pollicentur, & augendæ rei familiaris expeditam ac facilem omnibus viam commonstrant. ceterum duplex cum esset

A ij

Latina huius libelli interpretatio, altera Iudouici Bellisarij medici Mutinensis, altera Des. Erasmi Roterodami, viri eruditionis nomine vbiq̃ue terrarum notiac nobilis: illa certis de causis præmissa, hanc vobis exhibuimus à nobis recognitam, & quibusdam annotationibus explicatam atque illustratam. Id autem cuiusque modi est, Filij, vobis donādum & in vestro nomine diuulgādum esse putauimus, tum vt quæ aliquando ex nobis Græcè cognouistis, nunc Latine recognoscatis: tum vt hoc veluti laboris & industriæ stimulo concitati, in artium honestarum & Reip. vtilium stadia alacriter decurratis, in eoque vobis tam diu elaborandum putetis, quoad vberēs atque maturos nobis edatis studiorum vestrorum fructus. Valete.

\* \*

CLAVDII GALENI  
PERGAMENI PARAPHRASIS  
IN MENODOTI EXHORTATIONEM  
ad artium liberalium studia.

EX DES. ERASMI ROT.

*interpretatione, à Federico Jamotio  
Medico recognita.*

**N** animantia quæ dicuntur bruta, prorsus expertia sint rationis, nondum satis liquet. Fortassis enim tametsi non habent eam rationem, <sup>a</sup> quæ iuxta vocem intelligitur, nobiscum communem, quam vocant enuntiationem, certè eam <sup>b</sup> quæ secundum animam accipitur, quam rationem appellant affectuum capacem, habent nobiscum communem omnia, licet alia magis, alia minus. Perspicuum sanè est hominem hac parte longè cæteris animantibus antecellere, vel ex illo quòd cernimus, quanta sit artium multitudo, quas hoc animal tractat: vel ex hoc, quòd solus homo scientiæ capax, quancunque velit artem percipit. Siquidem animantia reliqua ferè omnia sunt artium expertia, si pauca quædam hinc excipias. Quin his etiam ipsis natura magis quàm instituto contigerunt artes. Cæterùm nec apud illa quicquam est artium, quod homo non meditetur, sed in arte texendi imitatus est araneas, in arte fingendi, quam plasticen vocant, apes: nec imperitus est natandi, cùm sit animal terrestre. Iam nec diuinis artibus destituitur, imitans &

1.

a. quæ in pronuntiatione sita est.

2.

b. quæ in anima consistit, quàm mente conceptam apprehendat, habent.

3.

4.

5.

6.

A iij

## GALENI EXHORTATIO

7. *Æsculapij, quæ eadem est Apollinis, medicam artem, ac cæteras item omnes quas habet Apollo, iaculandi, canendi, diuinandi: adhæc quam vnaquæque Musarum habet peculiam, nec geometriæ nec astronomiæ expers. Verum & ea quæ subter humum sunt, & ea quæ supra cælos sunt, quemadmodum ait Pindarus, contemplatur. Denique bonorum omnium maximum sua sibi parauit industria, Philosophiam. Has igitur ob causas, quanquam cæteris animantibus non deest ratio, tamen solus homo vocatur ratione præditus, quod omnibus antecellat. An nō igitur turpissimum est, id quod vnum nobis inest commune cum Dijs negligere, aliarum verò rerū studio teneri, ac spreta artiū perceptione, fortunæ nos ipsos committere?*
8. *Cuius improbitatē nobis ob oculos ponere volētes prisci, non sat habuere eam repræsentare muliebri specie, tum picturis tum statuis (quanquam hoc ipsum satis magnum erat amētiae signum) verum & clauū illi dederunt in manibus,*
9. *ac pedibus subiecerūt basim figura spheræ: tum & oculis eam priuarunt, nimirum his omnibus declarātes illius inconstantiam. Quemadmodum igitur in naui vehemēter iactata tempestate, adeo vt periculum sit, ne procellis ac fluctibus obruta demergatur in profundum, perperam fecerit, qui cæco gubernatori clauum commiserit: itidem opinor in vita, cū hīc in permultis ædibus grauiora fiant naufragia, quā scaphis accidunt in mari, non rectē iudicarit, qui semetipsum in tantis negotijs vndique circumstantibus ac vallantibus, cæcæ commiserit Deæ, nec huic satis stabili. Adeo enim stupida ac demens est, vt plerunque bonis viris præteritis, quorum oportebat haberi rationem, locupletet indignos, ac ne id quidem constanter, sed tantisper donec rursus pari, qua dedit, temeritate eripiat donata. Hanc Deam sequitur turba non mediocris hominum ineruditorum, nunquam eodem in statu manentem, propter basim, cui insistit, volubilitatem, quæ illam huc illuc agit rapitque per præcipitia, nonnunquam & in mare. Ibi pariter intereunt omnes illam sequentes, cæterum illa sola euadit indemnis & illæsa, ridens interim plorantes, & ipsius*

ipsius opem frustra implorantes, cum hinc iam nulla sit illis  
 utilitas. Atque huiusmodi sunt Fortunæ facta. Porro Mercu-  
 rium tanquam rationis dominum, omnisque artis auctorem,  
 considera rursus, quàm diuersa quàmque pugnante cum  
 Fortunæ simulachro forma, repræsentarunt illi præci, tum  
 picturis tum statuis. Adolescens est formosus, nequaquam  
 habens pulchritudinem ascititiam, aut artificio comptorum  
 additam, sed talem, vt protinus in ea reluceat animi virtus.  
 Est autem hilari vultu, oculis acribus. Basis autem cui infi-  
 nit, est omnium figurarum firmissima, minimèque volubilis,  
 videlicet vndique quatuor angulis nitens tessera. Interdum  
 & ipsum Deum hac figura repræsentant. Videas autem & hu-  
 ius cultores similiter hilares, quemadmodum est is quem se-  
 quuntur, nec vnquam de illo querentes, quod solent ij qui  
 sequuntur Fortunam. Nec destituuntur vnquam, nec sciu-  
 guntur ab eo, sed perpetuò sequuntur illum, & illius proui-  
 dentia fruuntur. Contrà qui Fortunam sequuntur, videre li-  
 cet inertes ac disciplinarum indociles, semper inhiantes spe  
 duci, cumque corrente Dea currere, alios quidem propius,  
 alios verò procul: nonnullos verò & ab illius manu pendere.  
 Inter hos omnes videbis & Cræsum illum Lydum, & Poly-  
 cratem Samium, ac fortassis miraberis alteri quidem Pacto-  
 lum affluxu suo inuehentem aurum, alteri verò marinos etiã  
 pisces subseruientes. Cum his rursus & Cyrum videbis, &  
 Priamum & Dionysium. Verùm paulo pòst ex his ipsis haud  
 eodem in statu conspicias Polycratem in crucem suffixum,  
 tum Cyro subactum Cræsum, rursus Cyrum aliorum impe-  
 rio subiectum: videbis & Priamum inclusum, & Dionysium  
 Corinthi. Quòd si contempleris illos, qui procul insequun-  
 tur eam currentem, nec tamen assequuntur, nimirum pror-  
 sus oderis eum chorum. Sunt enim hic oratores permulti, me-  
 retrices & scortatores, & amicorum proditores: sunt & ho-  
 micidæ, & monumentorum perfossiores ac rapaces. Com-  
 plures item, qui ne Dijs quidem pepercerint, sed hos sacrile-  
 gio compilarint. Cæterum in altero choro omnes modesti, &

10.

11.

12.

13.

14.

15.

## GALENI EXHORTATIO

- artium opifices, neque currunt neque vociferantur, neque inter se decertant, sed inter illos medius est Deus, & circum hunc suo quisque loco cōpositus, nec ordinem, quem cuique dedit Deus, deserunt, alij quidem Deo proximi, & hunc ordine composito cingentes, videlicet geometræ, arithmetici, philosophi, medici, astronomi & grammatici. Hos sequitur alter chorus, pictores, plastæ, <sup>a</sup> scriptores, fabri & architecti, <sup>b</sup> lapidarij. Post hos sequitur ordo tertius, reliquas artes omnes continens, sic in ordinem digestis singulis, vt omnes tamen ad Deum communem vertant oculos, iussis illius pariter obtemperantes. Conspicies quidem & hîc numerosam multitudinem adhærentium Deo. Cæterum videbis & quartum quēdam chorum à cæteris selectum atque extraordinarium, non quales erant illi qui Fortunam comitabantur. Non enim ex dignitatibus ciuilibus, neque ex generis claritate, neque ex diuitiis consuevit Deus hîc præstâtissimos iudicare, sed qui cum virtute vitam agerēt, quique in suis artibus excelleret, quique præceptis ipsius obsequerentur, ac legitimè suas exercerent artes: hos & magnificat, & cæteris anteponit, sibi coniunctissimos habens semper. Hunc, ni fallor, chorum, qualis sit si nosset, non solum admirareris, verum etiam adorares. In hoc est Socrates, & Homerus, & Hippocrates, & Plato, & horum studiosi (quos pari cum Diis honore dignamur) tanquam <sup>a</sup> affectatores ac ministros quosdam Dei. Quanquam ne cæterorum quidem quisquam fuit vnquam à Deo neglectus. Non solum enim præsentium curam habet, verum etiam & nauigantibus adest, nec in naufragio destituit. Aristippus igitur, cum aliquando nauigans fracta scapha in littus Syracusanum eiectus esset, primùm quidem bono animo esse cœpit, cum in arena vidisset descriptas lineas geometricas: reputabat enim sese ad Græcos ac sapientes viros, non ad barbaros peruenisse. Post vbi venisset in Syracusiorum gymnasium, & hosce versus pronuntiaffet,
19. „ Quis Oedipum in diem vagantem & exulem  
„ Donis recipiet hoc die rarissimis?

&amp;

& habuit qui ipsum conuenirent, & agnito protinus omnia, quibus opus erat, impertirent. Deinde cum essent qui in Cyrenem illius patriam nauigaturi percontarētur, numquid ad suos vellet scribere: iubete, inquit, illos has sibi parare possessiones, quæ naui fracta simul enatant cum possessore. Cæterum multi infelices, & omnia diuitiis metientes, si quando incidunt in talem calamitatem, aurum aut argētum suspendunt ac circumponunt corpori, simulque cum illis perdunt & vitam: ne id quidem apud se reputantes, quod ipsi ex brutis animantibus ea potissimum amplectuntur, quæ sunt artibus ornata. Siquidem equos ad bellum edoctos, & canes venandi peritos cæteris anteponunt, quin & famulos curant artibus instituendos, & frequenter in eos plurimam impendunt pecuniam, cum seipsos negligant. Quid, an non turpe videtur, famulum nonnumquam æstimari drachmarum decem millibus, ipsum autem dominum nec vnus haberi drachmæ? Quid autem dixi vnus? Nemo talem vel gratis acceperit in famulitium. An non tandem se solos vilissimos omnium reddiderunt, qui soli nullam artem didicerint? Etenim cum bruta quoque artium exercitationibus erudiant, & famulum ignauum nulliusque peritum artis, nullo pretio dignum indicent: curent autem & agros & reliquas possessiones, ut quæque, quantum fieri potest, sit quam optima, seipsos solos negligant, ne hoc quidem intelligentes, animum habeant necne: perspicuum est, quod similes sint famulis contemptissimis, ut iam aliquis insultans homini tali, merito verbis huiusmodi illum alloquatur, O homo, familia quidem tua tibi rectè habet, mancipia omnia, & equi & canes & agri, & quidquid possides benè compositum est: at ipse tu parum curatus es. Præclare igitur Demosthenes ac Diogenes, quorum alter diuites indoctos appellauit oues onustas aureo vellere: alter dixit eos similes ficis arboribus in præruptis locis stantibus. Nam harum fructibus non homines, sed coruos & graculos vesci. sic horum pecunias nulli esse vsui viris probis, verum ab

B

## GALENI EXHORTATIO

assentatoribus absum, qui quidem si sic acciderit, ut nihil sit reliquum, fortè obuios factos prætereunt: illos quos exhauserunt, perinde quasi ne nossent quidem. unde quidam non inelegans dixit istos similes fontibus. Etenim qui prius è fontibus aquare solent, simulatque desierint habere aquam, apud eosdem sublati vestibis urinam reddunt. Et sanè videtur æquum, qui nulla re suspiciendi sunt nisi ob diuitias, simulatque his spoliati fuerint, pariter & illis spoliari, quæ ob diuitias habebant. Quid enim isti facerent, qui nullum proprium possident bonum, sed perpetuo pendunt ab alienis, & à rebus fortuitis? Tales videlicet sunt & hi, qui generis nobilitatem venditant, atque hinc sibi placentes tollunt cristas. Nam & isti, quoniam propriis bonis carent, ad maiorum imagines confugiunt: non saltem hoc intelligentes, quòd ista generis nobilitas, qua gloriantur, similis est publico singularum ciuitatum nomismati, quod apud eos quidem valet, qui instituerunt, apud alios verò adulterinum habetur.

22  
a Annon te  
in altum ge-  
neris euexit  
decus?

Malum est e-  
gere: non a-  
lebat me ge-  
nus.

23  
b. Stheneli  
dictum.

a Te haudquaquam in altum generis euexit decus.

Non altus huc sum, polluam ut genus meum.

Præclarus igitur, ut inquit Plato, thesaurus est progenitorum virtutes: sed præclarius est huic opponere posse b Stheneli dictum,

Atqui nos patribus longè præstamus, auisque.

Nam si qua omninò est nobilitatis utilitas, ea sola est, quòd proposito exemplo domestico, hinc accenditur studium imitandi. Proinde si degeneremus à maiorum virtute, meritò discrucientur illi, si quis modò sensus insit defunctis, nobis autem tanto plus est dedecoris, quanto genus est illustrius. Siquidè imperiti qui genere sunt prorsus obscuro, hoc lucrifaciunt, quòd plerique nesciunt quales sint. Cæterum quos decus & claritudo generis non sinit latere, quid fructus ferunt ex nobilitate, nisi ut illorum infelicitas sit illustrior? Sanè qui generi suo non respondent, maiore reprehensione digni sunt, quàm obscuro loco nati. Itaque fit, ut si

vecors

vecors prædicet claritatem generis, declaret suum ipsius vitium minus venia dignum esse. Neque enim eadem trutina æstimamus aut exploramus plebeios homines, qua claro genere natos. sed illos, si vel mediocri virtute præditi sint, probamus & amplectimur, quod deest illorum virtuti, generis obscuritati attribuentes. Rursus hos qui nihil habent dignum imaginibus maiorum, etiam si cæteris omnibus antecellant, nondum tamen suspicimus. Proinde si quis sapit, ad exercendam artem sese conferat, per quam si nobilis fuerit, videbitur genere non indignus: sin minus, ipse genus ornabit suum: veterem illum Themistoclem imitatus, cui cum probro obijceretur, quod nothus esset, At ego, inquit, b à me ipsum genus auspicabor: ac meum quidem genus à me incipiet, tuum verò in te desinet. Vides non obstitisse Anacharsidi Scythæ, quò minus sit in admiratione, & inter sapientes numeretur, tamen si genere barbarus esset. Huic cum quidam exprobraret, quòd genere barbarus esset ac Scythæ, Mihi quidem, inquit, patria dedecori est, tu verò patriæ: ingeniosè calumniam retorquens in hominem nihili, nec alia re quàm patriæ nomine gloriantem. Quòd si fixius & attentius contempleris res hominum, comperies non homines factos illustres ex ciuitatibus, sed contrà per viros bonos & artibus præstantes horum patrias fuisse nobilitatas. Etenim quod nomen aut quam dignitatem habuissent Stagira, nisi per Aristotelem contigisset? Rursus quæ Solorum fuisset dignitas, nisi per Aratum & Chrysippum contigisset? Quin & Athenarum nomen vnde tam procul dimanauit? Non ob terræ fœcunditatem: habuit enim agros parum feraces: sed per eos potius, qui illic nati sunt, quorum plerique, dum in viros optimos euaserunt, nonnullam suæ gloriæ portionem impertierunt & patriæ. Hoc autem esse verissimum euidentissimè perspicies, si tecum reputes Hyperbolum & Cleonem, quibus ad nihil aliud profuit Athenarum nobilitas, nisi vt illorum maleficia nobilitata magis essent atque testata. Quòdam Bœotios vocabant sues, inquit, Pindarus. Et idem

24.  
b. posteris  
meis auctor  
ero generis,  
ac.

25.

26.

B ij

27.  
a. An effugi-  
mus (vetus  
opprobriū)  
Bœoticam  
suam, volēs  
28.

29.  
b. Cum enim  
id potissimū  
tēporis om-  
nis ars exer-  
ceri debeat,  
cum corpora  
vidētur esse.  
c. supraquā  
mediocrem  
parasse. Pre-  
stat igitur eos  
intelligere,  
adolecentiū  
formam ver-  
nis floribus  
assimilē esse,  
vt quæ volu-  
ptatē habeat  
momētaneā,  
simulque.  
d. Tū autē  
aduersus se-  
nēctutem, e-  
gentem non  
calceamentis  
solum & ve-  
stitū, verū  
& domicilio  
commodo,  
alijsq; rebus  
innumeris,  
probi gu-  
bern.

rursus, <sup>a</sup> Fugimus Bœoticam suam, volens totius prope gen-  
tis de imperitia probum aboleri per suam poëticam. Iam  
verò & legislatorem illum Atheniensem iure laudari aliquis,  
qui vetuit parentem alimoniam ius à filio petere, quem nul-  
lam artem docuisset. <sup>b</sup> cum id potissimum temporis omnis  
ars, illic exerceretur, vbi corpora videbantur esse quā  
formosissima, multis usu venit, vt ob corporis formam ad-  
mirandi negligerent animum, deinde serò frustra que de-  
plorarent, dicentes, vtinam forma quæ me perdidit, pereat  
malè. Tū illis & illud Solonis in mentem venit, qui iubet  
in primis spectari vitæ finem. Deinde & senectutem incusant,  
cum seiplos debuerint: & Euripidem laudant qui dicit,  
Non expedire pulchritudinem <sup>c</sup> ultra capere quā in medio.  
Præstat igitur eos laudare qui iudicarunt formam adolescen-  
tiæ assimilem vernis floribus, vt qui voluptatem habent tem-  
porariam, simulque laudare Lesbiam dictum, Nam qui for-  
mosus est tantisper est dum cernitur: At quisquis bonus est,  
protinus & formosus erit: parendum autem & Soloni ean-  
dem sententiam proferenti. <sup>d</sup> Senectus porro molesta, ve-  
luti tempestas imminens, egens non calceamentis solum &  
vestitu, verum & domicilio commodo, alijsque rebus in-  
numeris. Aduersus hanc probi gubernatoris exemplo, multo  
antè velut in vêturam tempestatem oportet præparari, quādo  
miserum est illud,

Vecors intelligit acta.  
Ad quid enim dixeris vtilem esse formam adolescentis nulla  
excultam arte? Num ad bellum? Atqui non abs re quis illud  
Homericum in tales iaculetur,

Quin tu coniugij tractas mulcentia facta?

31. Et illud,

32. Ito domum, & tracta tibi conuenientia facta,  
siquidem Nireus

Venerat ad Troiam cunctis formosior vnus,

Verum mollis erat:

Eoque non nisi semel huius meminit Homerus in recen-  
sendis

sendis nauibus, haud quidem ob aliud, mea sententia, nisi  
 vt declararet, quàm sint inutiles viri forma præstantissimi,  
 quoties illis præter formam nihil adest, quod ad vsum vitæ  
 conducatur. <sup>a</sup> At infelix quispiam dicere non verebitur, ad  
 parandas opes conducibilem esse formam, cum liberalis, ho-  
 nestus firmusque pecuniarum census ex arte parari soleat:  
 cæterum ex corporis forma redditus turpis est semper & in-  
 famis. Oportet igitur adolescentem, iuxta vetus prouerbum,  
 suam ipsius formam ad speculum contemplari, qui si se cõ-  
 spexerit facie pulehra, aduigilandum est vt talis sit & ani-  
 mus, existimeturque vehemèter absurdum, in formoso corpore  
 animum habitare deformem: Rursum si se viderit forma  
 corporis infelici, tanto maiori studio animum excolet, quod  
 dicere possit illud Homericum,

a. Nequẽ  
 verò ad pa-  
 randas opes,  
 quod impro-  
 bi quidam &  
 perditì ho-  
 mines dicere  
 non veretur,  
 conducibilis  
 est forma: cũ

33.

Est alius, cui forma parum sit corpore felix,

Sed comptis formam verbis Deus ornat, & illi

34.

Defixis oculis vultum huius cernere gaudent.

Ille sine offensa loquitur, placido ora rubore

Suffusus, reliquosque foro toto eminet inter,

Vtque Deum aspiciunt, incedit quando per urbem.

Ex his igitur perspicuum est ijs, qui non prorsus mente  
 carent, non esse negligenda artium studia, nec in diuitiis  
 aut formæ venustate, aut denique splendore generis spem  
 esse ponendam rerum nostrarum. Atque hæc quidem suf-  
 ficiebant. Attamen melius, opinor, fuerit ceu pulchrum  
 epodum accinere Diogenis illud: Is cum apud quem-  
 dam acciperetur conuiuio, qui res omnes, quas possidebat,  
 accurata prouidentia nitidas & instructas habebat, cæterum  
 sui ipsius nullam curam habuerat, screans veluti sputum  
 eiekturus, cum vndique circumspexisset, nihil vidit in quod  
 expueret, sed in ipsum solum domus herum expuit. Ille  
 cum indignaretur, rogarètque quam ob causam id faceret,  
 respondit se nihil in tota domo tam sordidum ac neglectum  
 videre, quàm esset ipse: nam parietes omnes egregiis picturis  
 ornatos esse, paupum autem ex tessellis pretiosis esse con-

35.

B. iij

## GALENI EXHORTATIO

cinnatum, deorúmque variis imaginibus distinctum, vasa omnia pura ac nitentia, quin stragulas & lectos pulchrè magnóque artificio elaboratos esse: solum ipsum videri neglectum & incompositum: omnibus autem esse morem, vt in locum omnium, qui adsunt, inhonestissimum expuant. Ne committas igitur adolescens, vt te præbeas dignum, in quem sputum eijciatur, etiamsi reliqua omnia pulcherrima tibi videantur adesse. rarum enim est istis simul vniuersis potiri, vt idem pariter & nobilis sis & diues & formosus. Quòd si tibi sanè simul illa contingant aliquando, tamen absurdum fuerit, te vnum in omnibus tuis facultatibus videri conspuendum. Agite igitur, ô pueri, quicumque audita mea oratione ad cognoscendas artes animum appulistis, videte ne quis vnquam veterator & impostor homo vos aut inutiles artes aut improbas doceat: sed certum vobis exploratumque sit, quibus artibus nullus est propositus finis ad vitam utilis, has artes non esse. Ac planè persuasum habeo de cæteris quidem vos ipsos perspicere, quòd nihil istiusmodi rerum artis nomine sit dignum, veluti<sup>a</sup> iacere talos, ire per extentum funem, & rotatu circumagi in gyrum, non<sup>b</sup> considerantem interim quid acciderit Myrmecidæ Atheniensi & Callicrati Lacedæmonio. Tantùm Athletarum exercitium suspectum habeo, ne veluti corporis robur pollicens, & gloriam apud vulgus concilians, publicitùs etiam apud maiores diurnis pecuniæ largitionibus honoratum, parique in pretio habitum cum<sup>c</sup> præstantissimis artibus, decipiat aliquem adolescentem, eoque seducat, vt hoc arti cuiuspiam anteponat. Vnde satius est aduersus hæc præparatum ac præmeditatum esse. Nam facile quisque fallitur in his, quæ non paulo antè præmeditatus secum mente pertractauit. Sanè genus hominum, ô pueri, communionem habet simul & cum Dijs & cum brutis animantibus. Cum illis quidem, quatenus vtitur ratione: cū his verò, quatenus est immortale. Satius est igitur vt animis ad meliorem cõmunionis partem adiectis, curemus eruditionem: quam assecuti, quod est in bonis

a. petauristâ  
esse, ire.

38.

b. caligantē:  
& qualia fuerunt studia  
Myrmecidæ  
Atheniensis  
& Callicratis  
Lacedæmonij. Tântum.

39.

40.

41.

c. præstantissimis viris,  
decipiat.

bonis summum habebimus: Sin eam non fuerimus affecti, non tamen hoc nomine pudeſcemus, quòd brutis ignauissimis ſimus facti inferiores. Athletica verò corporis exercitatio, ſi non contingat affectanti, turpiſſimum eſt: ſi maximè contingat, nihilo tamen præſtantiſſior eſt brutis animantibus. Quis enim robuſtior leonibus aut elephantis? quis lepore velociſſior? Quis verò nescit ipſos etiam Deos non ob aliud laudari, quàm propter artes? adeò vt ob has etiam eximios homines dignati ſimus diuinis honoribus, non quòd benè cucurrerint in ſtadiis, aut diſcum ſcitè iecerint, aut in palæſtra probè luctati ſint, ſed propter beneficium artium. Profeſſorè Æſculapius & Bacchus, ſiue quondam homines fuerunt, ſiue Dij, ab initio ſummos honores promeruerunt: alter ob monſtratam artem medendi, alter quòd nos docuerit vitium colendarum rationem. Quòd ſi mea fidem tibi non facit oratio, certè Pythij Dei te moueat auctoritas. Hic eſt ille, qui & Socratem virorum omnium ſapientiſſimum pronunciauit, & Lycurgum affatus, hunc in modum ſalutat,

Huc adueniſti ad mea ditia templa, Lycurge,

Grate Ioui & cunctis, quibus altus habetur Olympus:

At dubito ànne Deum te dicam hominè ve, Lycurge,

Spero tamen magis eſſe Deum, numénque verendum.

Hic ruruſum idem videtur honorè haud mediocrem habuiſſe Archilocho mortuo. Cùm enim huius interemptor vellet illius templum ingredi, vetuit dicens,

Occiſor clari vatis, ne templa ſubito.

Nunc mihi tu refer Athletas huiuſmodi titulis honoratos: at non facies, non enim habes quod dicas, niſi fortè teſtem aſpernaris, velut indignum cui credatur. Videris enim tale quiddam ſubindicare, dum ſermonem refers ad vulgi teſtimonia, & nobis obijcis huius laudationem. Et tamen neque morbo laborans, ſat ſcio, teipſum vulgo commiſeris, ſed ex omnibus paucis aliquot, atque his quidem medicæ rei peritiſſimis: neque nauigans cuiuſ è numero vectorum, ſed vni videlicet gubernatori. Denique & in rebus minimis, ſi

## GALENI EXHORTATIO

ædificas, fabro credis, si calceamētis egeas, coriario. Quī fit igitur, ut ubi de rebus summis contentio est, tibi vindices iudicandi potestatem, adimens eam his, qui plus sapiunt quā tu? Nam in præsentia quidem omitto de Dijs facere mentionem. Audi igitur quid de Athletis sentiat Euripides:

45.

a Nec liceat.  
b. nec ca-  
sibus Serui-  
re, prauis  
nam assueti  
moribus,  
Sunt durio-  
res ad ferēda  
incōmoda.

c. utilitatis,  
audi.

d. Patriæ co-  
rona opem  
tulit parta  
suæ?

a. Præsente  
ferro nemo  
tantum desipit.

Innumera cū sint mala per omnem Græciam,  
Haud aliud vllum est peius Athletis genus.  
Primū ij domi sibi consulunt parū benè,  
a Cū liceat: etenim quomodo vir qui fiet  
Gulæque seruus, atque ventri deditus,  
Opes pararet, vnde viueret domi?  
Egere rursus non potest, b sed nec suis  
Contentus esse sustinet fortunulis:  
Nam numquam honestis assueti moribus,  
Mox sese ad artes improbè vertunt malas.

Iam ut intelligas, & omnia quorum studio tenentur isti,  
nihil habere c bonæ rei, audi rursus quæ dicit, si libet:

Quis enim in palæstra, quis pedum cursu valens,  
Feliciter versatus, aut disco benè

Missio, aut probè scitæque mālā icta viri,

d Patriæ coronam rettulit partam suæ?

Quodd si cupis audire his etiam expressiora, ausculta:

Num aduersus hostes præliabuntur, manu

Discos ferentes, siue vibrata aspide,

Pedibus citi hostem submouebunt patria?

a Nullus profectò: vana fiunt omnia hæc,

Vbicominus ferrum micare cœperit.

Vtrum igitur Euripidem & huius generis alios auctores  
reijciemus, philosophis autem permittemus iudicandi ius?  
Imò verò horum omnium suffragio velut vno ore loquē-  
tium damnatur istorum ars, adeo ut eam nec medicorum  
quisquam probarit. Primū enim audies Hippocratem ita  
dicentem, Affectio Athletica non est secundum naturam,  
melior est habitus salubris: deinde optimos quosque me-  
dicos, qui Hippocratis ætatem secuti sunt. Equidem no-  
lim

lim à testibus pendere iudicium. Nam id oratorum est potius, quàm hominis apud quem in pretio sit ipsa veritas. Attamen quoniam nonnulli confugiunt ad multitudinis approbationem, & hinc inanem captant gloriam, nec curant hoc exercitium rebus externis nudatum, quale sit ipsum considerare, coactus sum, & hinc obijcere testes, quò videlicet intelligant, se ne hinc quidem esse nobis superiores. Vnde mihi non intempestivum videtur cōmemorare, quod fecit Phryna. Hæc cū esset in conuiuio quodam, in quo ludus hic agebatur, vt singuli per vices conuiuiis imperarent quæ vellent, vidissetque adesse mulieres, anchusa, cerusa, & fucopictas, iussit inferri aquam, mōxque præcepit vt omnes aquæ immersas manus semel admouerent ad faciem, deinde vt illico linteo extergerentur. Atque hoc ipsa prima omnium fecit. Ac cæteris quidem omnibus fæminis facies maculis opplebatur: diceres te videre quasdam ad terrorem arte factas imagines. Ipsa verò pulchrior apparebat quàm antea: sola enim carebat artificio formæ, sed speciem habebat natuiam, non ad formæ commendationem malas artes adhibens. Quemadmodum igitur vera pulchritudo certò exploratur ipsa per se sola, rebus omnibus foris accidentibus nudata: sic & Athletarum exercitationem expendi conuenit solam, an videatur aliquid vtilitatis afferre vel publicè ciuitatibus, vel priuatim ijs, à quibus exercetur. Cū igitur variæ sint bonorum species, quæ insunt natura, puta quæ pertinent ad animum, quæ ad corpus, quæ ad externa, nec præter hæc vllum aliud bonorum genus possit excogitari: cuius perspicuum est, quòd Athleticam exercentes animæ bona ne in somnis quidem assecuti sint, quando prorsus illud ignorāt, an habeāt animā, tantū abest vt illam sciāt esse rationis participem. Etenim, cū semper aggerāt vim carnis & sanguinis, habent animam suam veluti multo immersam cœno, vt nihil exploratum cognitūque habeat, verū non minus stupida sit quàm brutorum animæ. At fortassis contendunt Athletæ, tanquam <sup>a</sup> aliquid cōferant ad

47.

48.

C

## GALENI EXHORTATIO

a. aliquod ex  
bonis corpo-  
ris adepti  
sint.

49.  
b. habitudi-  
dinem peric.

50.  
c. & impi-  
grum esse ad  
labores, lau-  
datur.  
d. senis illius.

51.

52.

53.

54.

55.

56.

d. vniuersum  
ac.

e. nimium,

57.

bona<sup>a</sup> corporis. Num igitur bonam valetudinē, qua nihil pretiosius, sibi vendicabunt? Atqui non alios reperias corporis affectione magis periculosa: siquidem Hippocrati fides habenda, qui dixit summē bonam corporis<sup>b</sup> valetudinem periculosam esse, quam affectant isti. Quin & illud ab Hippocrate rectē dictum, quod sanitatis studium est, non satiari cibis, <sup>c</sup> sed in omnibus agilem esse, laudatur ab omnibus. At isti contrā faciunt, dum & supra modum laborant, & ijdem supra modum expleantur. In summa<sup>d</sup> veteris illius Hippocratis sermonem, ceu Corybantum furore correpti, contemnunt. Nam ille demonstrans quæ vitæ ratio sit accommodata tuendæ bonæ valetudini, dixit, Labores, cibi, potus, somni, venus, omnia moderata. Isti verò quotidie suprā quā conuenit, laboribus exercentur, & ingurgitant se nonnumquam è vi, & ad mediam vsque noctem producunt comestationes, vt aliquis non immerito torserit in illos illud Homeri,

Dormibant reliqui Diuīque hominēsque per omnem Noctem, prædulci resoluti corpora somno:

At nullus miseros Athletas somnus habebat.

Itaque quæadmodum se habent in cibis & laboribus, eodem modò moderantur, & somnum. Etenim quo tempore cæteri iuxta naturam viuentes ab opere veniunt, & cibum requirunt, tūm isti surgunt à somno: vt illorum vita similis videatur suillæ: nisi quod sues non vltà modum laborant, neque coguntur ad edendum: Isti verò & hæc faciunt: & nonnumquam iisdem Rhododaphnis terga perstringuntur. Proinde priscus ille Hippocrates, præter hæc quæ dicta sunt, addit & illa, <sup>e</sup> vehementer ac repentē corpus explere vel inanire, vel calfacere vel refrigerare, aut alio quocumque modo mouere, periculosum est. Quicquid enim, inquit, est <sup>e</sup> vehemens, inimicum est naturæ. Isti verò nec his auscultant, nec alijs quæ benè ab hoc dicta transgrediuntur: quin potius vtuntur omnibus, quæ pugnant cum his præceptis. Quapropter ego sanè dixerim istud vitæ institutum non

non esse sanitatis, sed morbi potius studium. Nam id, ni fallor, sentit Hippocrates, cum ait, Affectio Athletica non est secundum naturam, sed <sup>a</sup> habitudo salubris melior. His dictis non solum palam negavit illorum exercitationem esse naturalē, verum ne <sup>b</sup> habitudinem quidem appellavit illorū affectionē, spoliando illos etiam nominis honore, quo cuncti veteres appellare solent homines, qui verè essent bonæ valetudinis. Siquidē habitus est affectio quædā stabilis ac perpetua: cōtrā, Athletarum ad summū progressa bona corporis habitudo, tum obnoxia periculo est, tum facillè in diuersum mutabilis. Neque enim recipit accessionem, eò quod ad summum peruenit, tum ex eo quod eodem in statu consistere non potest, nihil restat, nisi ut vergat in deterius. Atque hoc quidem in statu corpus est ipsis dum Athleticam exercent. Cæterum ubi discesserint ab exercitijs, multo peius habent. Etenim nonnulli paulo post emoriuntur: alij verò diutius quidem viuunt, at ne ipsi quidem perueniunt ad senectutem. Et ut iam aliquando perueniant, nihil differunt à Litis Homericis,

Claudi, rugosi, lusciosi, oculis orbi.

Quemadmodum enim mœnia tormentis concussa quouis incommodo corruunt, nec terræ motum, nec alium vllum grauiorem insultum ferre possunt: itidem & Athletarum corpora attrita atque conuulsa plagis ac vulneribus in arena acceptis; facillè ad quamlibet leuem occasionem læduntur. Proinde oculi plerumque ceu fossis cauati, quando iam vis abest resistendi, complentur <sup>c</sup> pituita, dentes verò utpote frequenti concussione labefactati, progressu temporis destituti virtute, facillè decidunt. Cæterum <sup>d</sup> membrorum cōpages, ut frequenter intortæ, aduersus omnem violentiam foris incidentem redduntur inualidæ: <sup>e</sup> quicquid semel ruptum fuit aut contractum, facillè mouetur. Itaque quod ad bonam valetudinem attinet, palam est nullum esse genus miserius quam Athletarum. Vnde non iniuria quis

58.

a. habitus  
fal.b. habitum  
quidem.

59.

60.

61.

c. destillati-  
onibus, den.d. articu-  
lorum comp.

62.

e. quævisrup-  
tio ac neruo-  
rum diuul-  
sio facillè ex-  
citatur.

C ij

## GALENI EXHORTATIO

63.  
a. vno fonte  
cognomen.

eos appposito cognomine vocatos dixerit Athletas, vel quodd  
ab Athleta cognomen habeant ἀθληται, id est, miseri, vel  
quodd utrique communiter ab ἀθλιότητι, id est, miseria,  
velut ab <sup>a</sup> vna terra cognomen sortiti sint. Posteaquam igitur  
de eo, quod inter bona corporis summum est, tracta-  
uimus, nimirum de bona valetudine, transeamus ad reli-  
qua. Iam quod ad formam attinet, sic illis habet res, ut  
non solum exercitatio Athletica nihil conferat ad pulchritu-  
dinem, verum etiam multos ex istis optimè composito cor-  
pore gymnastæ, qui eos curandos susceperant, supra modum  
saginantes & infarciētes carnibus & sanguine, in diuersam  
corporis speciem perduxerint: nonnullos quoque facie pror-  
sus deformi factæque reddiderint, eos potissimum quos ad  
pancratium aut pugilum certamen instituissent. Cæterum  
ubi tandem & membrum aliquod fregerint, aut distorse-  
rint, aut oculos extuderint, tum opinor, tum vel maximè  
fructus artis ipsorum euidenter apparet, videlicet pulchritu-  
do. Hunc ad modum illis res successit ad formæ com-  
modum, quandiu sani sunt. Cæterum ubi desierint exer-  
ceri, simul & reliqua sensuum corporis organa pereunt, cū-  
ctæque, ut dixi, membra distorta nihil non reddunt deforme.  
At fortassis nihil quidem ex omnibus his, quæ dicta sunt,  
sed robur sibi vindicabunt. Nam hoc, scio, dicturi sunt,  
vnum illud esse omnium efficacissimum. Quod per Deos  
robur? aut ad quid vtile? Num ad agricolationem? Perpul-  
chrè igitur vel fodere vel metere, <sup>b</sup> aut aliud quippiam,  
quod ad agricolationem pertinet, possunt. Sed fortassis  
ad res bellicas valet. Rursus Euripidem huc mihi cita, qui  
laudes illorum canit his verbis,  
Num aduersus hostem præliabuntur, manu  
Discos ferentes? num ve vibrata aspide  
Pedibus citi hostem submouebunt patria?  
<sup>c</sup> Nullus profectò: vana fiunt omnia hæc,  
Vbi comminus ferrum micare cœperit.  
Cæterum aduersus rigorem & æstum validi sunt, hoc ipso  
sanè

66.

b. vel arare,  
aut aliud.

c. re vera  
nemo hæc  
stultè desi-  
gnat, ubi.

sanè Herculem referentes, vt tum hieme tum æstate vna pelle tegantur: vt incalciati perpetuò sub dio dormiant, humi cubantes. <sup>a</sup> In his enim omnibus pueri nuper nati sunt imbecilliores. Quæ tandem igitur in re roboris suispecimen edent? aut vnde sibi placebunt, & cristas erigent? Non sanè in hoc quod coriarios, fabros, domorum ædificatores vel in palæstra deiiciant, vel in stadio. Fortassis itaque in hoc quod toto die puluerescunt, meritò sibi gloriandum putabunt. Verùm ista laus adest & coturnicibus & perdicibus, siquidem par est, vt hinc tollant cristas, quod toto die luto lauentur. Sed age per Iouem, Milo ille Crotoniates sublatum in humeros vnum ex immolatis tauris olim per stadium baiulauit. O insignem dementiam istorum, qui ne hoc quidem intelligunt, quod paulo antè idem corpus viui animantis gestarit illius anima: multoque sanè minore labore portauit, quàm Milo. Nam & currere poterat cùm gestaret: attamen ea nullius erat pretij, quemadmodum nec Milonis anima. Declarauit autem & exitus hominis, quàm nihil habuerit mentis. Cùm enim aliquādo conspiceret adolescentem cuneis immixtis findentem ligna, illum quidem irrisum submouit, ipse non alio vsus instrumento quàm suis ipsius manibus, ausus est lignum diducere. Mox quicquid habebat roboris, in primo impetu colligens, deduxit arboris huc atque huc partes. Interim elapsis cuneis cùm reliquam arboris partem diducere non posset, diu quidem obnixus est, tandem victus non potuit educere manus, sed à trunci partibus in sese coeuntibus comprehensæ, primum ipsæ quidem contritæ sunt, mox & Miloni miserandi exitij fuere causa. Plurimum igitur illi profuit in hoc, ne quid mali pateretur, in stadio gestare taurum mortuum. An Græcorum Rēpublicam seruare potuisset id tēporis, cùm aduersus barbarum bellum gerebant, Milonis vis quam in gestando tauro declarauit, potius quàm Themistoclis sapientia, qui primum recto iudicio <sup>b</sup> depræhendit sententiam oraculi, deinde bellum, quemadmodum oportet.

67.

a. At enim in his omnibus pueris nuper natis sunt.

68.

69.

b. interpretatus est oraculū, deinde.

C iij

GALENI EXHORTATIO

tebat, gessit. Vnicum enim consilium prudens multas superat manus. Cæterum inscitia cum armis peior est quouis malo. Arbitror itaque iam perspicue declaratum, Athletarum exercitationem nihil utilitatis afferre ad vitæ functiones. Cæterum quod nec in ipsis quibus exercentur, vilius pretij sint, cognoscetis, si vobis retulero fabulam illam quam vir quidam non inelegans prolixo carmine ornauit. Habet autem hunc in modum fabula:

” Si Iouis voluntate cunctis animantibus consensus ac societas contingeret in degenda vita, ut in Olympia præco  
 ” non solum homines ad certamen vocaret, sed omnibus etiam  
 ” animalibus permetteret ad vnum venire stadium, nullus opinor hominum coronaretur. In eo certamine, in quo cursus ad viginti tria stadia porrigitur, vnde & δολιχόν appellant, equus, inquit, longè superabit: in cursu verò breviori, qui non ultra stadium profertur, lepus feret præmium. Cæterum in diaulo, in quo cursus ac recursus duplicat stadium, primas feret caprea. Neque quisquam hominum in aliquo numero futurus est b. ô leues exercitationes vestras ἀδύτοι, id est, miseri viri. Imò ne Herculis quidem posterorum quisquam elephantò aut leone robustior apparebit. Arbitror autem futurum, ut & in pugilum certamine taurus coronam laturus sit. Et asinus, inquit, si velit calcibus contendere coronam auferet. Et in historia variorum euētuum scribetur, quod asinus in pancratio aliquādo vicerit viros. Erat autem Olympias prima ac vigesima cūm vinceret ruditor. Admodum venusta fabula hæc declarat, robur Athleticum non esse de numero eorum, quibus homines decet exerceri. Atqui si ne robore quidem antecellunt animantibus Athletæ, quodnam ex cæteris bonis sibi vindicabunt? Quod si quis dicat voluptatem corporis inter bona numerandam, ne huius quidem compotes sunt, neque cūm exercentur, neque postquam ab exercitatione discesserint: quādoquidem dum exercent Athleticam, in laboribus ac miserijs agunt, non tantū ob exercitia, verum etiam ob id

b. futurus  
est cursu pedū, ô leues.

etiam  
in laboribus  
ac miserijs agunt

ob id quòd coguntur ad edacitatem. Quòd si contigerit eos ab arte missionem accipere, plerisque corporis membris mutili fiunt ac debiles. Ergo fortassis inde glorianur, quòd præ cæteris plurimum colligunt & coaceruant pecuniarum. Atqui videre licet istos omnes ære alieno obstrictos, non solum id temporis quo exercet artem Athleticam, verum etiam cum ab ea dimissi sunt, nihilo inuenies Athletam ditiorẽ quouis viri diuitis œconomo. Quanquam ne id quidẽ per se præclarum est ex arte parare diuitias, sed talem potius artem scire, quæ fracta naui simul cum domino enatet è naufragio. Quod quidem nec his contingit qui res procurant diuitum, neque publicanis, neque negotiatoribus, & tamen hi maximè ditescunt è suis artibus. Cæterum si pereant illis pecuniæ, simul perit & negotiatio, ad quam opus quidem habet aliqua sorte pecuniæ. Cæterum si hæc desit, nõ possunt instaurare pristinam negotiationem. Nullum enim illis mutuũ credit absque pignoribus & hypothecis. Proinde si quis vestrũ studet viam rationemque inuenire ad parandas pecunias & tutam, nec infamem, ars aliqua exercenda est per omnem vitam permanens. Porro cum prima diuisione in geminum discrimen artes distribuuntur, quædã enim ex his ratione constât, suntq; liberales & honestæ: quædã cõtrà contẽptibiles, quòd corporis laboribus constent, quas sedentarias ac manuarias vocant. præstiterit ex illo priore genere quampiam discere: nam posterius illud genus destituere solet senectute grauatos artifices. Prioris autem generis sunt Medicina, Rhetorica, Musica, Geometria, & Arithmetica: Dialectica, Astronomia, Grammatica, ac legum prudentia. Adde his si voles, fingendi pingendique artificium: quanquam enim hæc manuaria constant opera, tamen earũ exercitatio non eget robore iuuenili. Ex his igitur artibus, aliquam deligere conuenit, & exercere iuuentutẽ, cui mens non sit omnino hebes ac rudis, vel harum potius optimam, quæ quidem mea sententia est ars medendi. Hoc autem deinceps nobis erit demonstrandum.

71.





FED. IAMOTII MEDICI AN-  
NOTATIONES IN GALENI  
exhortationem ad artium libe-  
ralium studia.



N ANIMANTIA quæ dicuntur  
bruta. ) Duplex est Aristoteli φαντασία,  
id est, visio siue imaginatio, altera λογιστική,  
hoc est rationis, altera αἰσθητική, id est,  
sensus particeps. Ac visionem quidem,  
quæ consilij est, in ijs reperiri ait, quæ ratione  
utuntur: eam autem quæ sensum attingit,  
in alijs etiam animalibus, sed in quibusdam expressiorem, in alijs  
imperfectiorem. Quæ visorum efformandorum vis quoniam cum  
ratione similitudinem quandam habet, accidit ut quibus belluis  
hæc expressior inest, iisdem rationis & prudentiæ quædam imago  
à natura data esse videatur. Hoc tamen inter hominem & belluam  
interest, quod ille ex visorum comparatione, notionem vniuersam  
colligit, in qua principium est intelligentiæ: hæc visis regitur, nec  
ea animi parte, quæ rerum singularum imagines recipit, quic-  
quam habet perfectius. Quanquam sunt, qui ex Galeno arbitra-  
tur priorem vim etiam belluis inesse, easque connatas rerum spe-  
cies vniuersas habere, per easque accidere, ut pullus miluum me-  
tuet, quia insitam habet milui speciem, ad quam singulos, cum  
sensibus obijciuntur, solet referre. Plutarchus peculiari com-  
mentario probat, multis argumentis animalia bruta uti ratione.  
Pythagoras autem & Plato ratione quidem præditas esse brutorum  
animas volunt, non tamen ratione agere, tum propter corporum  
δυσπραγία & intemperiem, tum etiam quod sermonis facultate  
careant. Horum opinionem secutus est Virgilius lib. 4. Georg.

1.

Lib. 3. de  
animo.Lib. 2. meth.  
med.

D

His quidam signis, atque hæc exempla secuti,  
 Esse apibus partem divinæ mentis, & haustus  
 Aethereos dixere: Deum namque ire per omnes  
 Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.  
 Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.  
 Quémque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Quem locum plenius explicat lib. 6. Aeneid. Principio cælum  
 ac terras. &c.

2. Quæ iuxta vocem intelligitur.) Plutarchus commentario,  
 Quod oportet philosophum cum principibus versari, duplicem ra-  
 tionem facit, unam τὸν ἐνδὲθεν, id est, internam, quam mentis  
 conceptum vocant, omnibus animalibus communem, alteram  
 τὸν πρὸς τοὺς ἄλλους, id est, in pronuntiatione  
 sitam, solique homini propriam. Quanquam Porphyrius libro de  
 abstinentia animalium, belluas non rationis modo, sed cuiusdam  
 etiam siue sermonis siue locutionis participes esse scribit, cuius intel-  
 ligentes dicuntur fuisse cum plerique alij, tum Melampus, Tire-  
 sias, & Apollonius Tyaneus.

3. Quanta sit artium multitudo.) Ratione non agere bruta ani-  
 malia, vel hinc apparet, quod ratio in varietate rerum cernatur. Ara-  
 neis autem texendæ tantum tela peritus est, ficedula canendi, apes  
 mellificandi, neque quicquam præterea agere possunt. Ratione igitur  
 non agunt. Homo autem ut natura nullam artem sortitus est, ita facul-  
 tatē habet ad omnes artes intelligendas: vult enim Aristoteles intelle-  
 ctum nostrum, quando primum cum corpore coniungitur, esse ut ta-  
 bulam prorsus nudam, & in eo similem materiæ primæ, quod ut  
 hæc nullam habet ingentiam formam, sed tantum insitam facul-  
 tatē ad omnes rerum naturalium formas perpetua vicissitudine  
 recipiendas: sic ille nullam omnino formam habeat intelligibilem  
 siue notionem secum ingentiam, sed solam facultatem ad omnes no-  
 tiones recipiendas. Præterea Galenus nullam idcirco artem homini  
 à natura datam esse ait, quod eum oporteret esse omnibus artibus  
 ornatum: atque ut corpus armis nudum, sic & animum artibus  
 destitutum habere. Ideoque pro corporis nuditate, manus, pro ani-  
 mi inertia & imperitia rationem accepisse, quorum usu & corpus  
 armaret

Lib. 1. de  
 usu part.

armaret, & animum omnibus ornaret artibus. Proinde rationem vocat τέχνη τινὰ πρὸ τέχνην, hoc est, artem quandam ante artes, Aristotelis exemplo, qui manum esse dicit, ὄργανόν τι πρὸ ὀργάνων, id est, instrumentum quoddam ante instrumenta: Ut enim manus omnia particularia instrumenta recipere potest, quanquam nullum sit ex ijs: sic etiam ratio, tametsi nulla sit ex artibus particularibus, ad omnes in se recipiendas apta est & idonea.

Lib. 10. de partibus animal.

4. Quinetiam his ipsis natura magis.) φύσις ἥ ἄνθρωποι, inquit Hippocrates, Natura animalium à nullo sunt edoctæ. Animalia autem bruta nec arte, nec inuestigatione, nec deliberatione adhibita quicquam facere, sed sensu naturæ, cuius impetu reguntur, docet Aristot. lib. 2. Phys. cap. 8. Vergilius item lib. 1. Georg. Haud equidem credo, quod sit diuinitus illis Ingenium, aut fato rerum prudentia maior.

Lib. de alimento.

5. Quàm instituto.) ἢ πρᾶξις, quàm proposito, consilio, electione. ἢ πρᾶξις δὲ, inquit Aristoteles, ἐκείνων μὲν φαίνεται, οὐ τῶν δὲ, Electio res videtur esse quidem voluntaria, sed tamen non idem est quod voluntarium. Nam quod voluntarium est, patet latius. Eius enim quod libenter fit, & pueri sunt & belluæ participes: consilij non sunt, nec electionis.

6. In arte texendi imitatus est araneas.) Dicebat Democritus nos animalium summis in rebus esse discipulos, aranearum texendo, hirundinum adificando, cygni lusciniæque modulando carmine, & voce fingenda, medicamentorum usu, mustellæ, cum serpentem glutinit, ruta insuper vorata. Vide Plutarchum lib. de industria animalium.

7. Verùm & ea quæ subter humum sunt.) Animus humanus res inter se situ longissimè seiunctas una intelligentia cōplectitur, ea nempe quæ subter humum sunt, id est, metalla è terræ visceribus effodi & erui solita perscrutans, & celestium atque diuinarum rerum naturam comprehendens. Cæterum non extat Pindari liber, ex quo hic locus petitus est.

8. Fortunæ nos ipsos committere.) Meritò taxatus est & libris & scholis omnium philosophorum Theophrastus, quod in Callisthene laudaret illam sententiam, Vitam regit fortuna, non

D ij

*sapientia. Quanto rectius Democritus, cum fortuna ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet vnguem? Ut inquit Sattyricus. Porro quæ ad Fortune figuram pertinent, studiosè descripsit Cebes Thebanus philosophus, cuius etiam hodie extant dialogi, quibus ille duplicem humanæ vitæ speciem in tabula quadam ob oculos ponit.*

Lib. 1. de  
Cælo.

9. Basim figuræ sphaeræ.) Sphærica figura omnium est maximè volubilis, minimèque stabilis ac firma. Proinde Fortune tribuitur propter ipsius inconstantiam & leuitatem: tribuitur & cælo volubili & in orbem incitato, quod ad hunc motum orbicularem & mundi volubilitatem, nulla sit ex omnibus aptior figura quàm globosa. Addit & alteram rationem Aristoteles, nimirum rationi consentaneum esse, ut cæleste corpus, quod omnium primum est, figura omnium perfectissima conformatum sit atque insignitum. Perfectissimam omnium esse figuram globosam vel hinc apparet, quod nihil ei addi possit, cum ab una tantum extremitate atque superficie undique claudatur. Qualis autem est in solidis globus, talis est in planis figuris circulus.

10. Est autem hilari vultu.) Veteres eam potissimum ob causam Mercurij statuam pone Gratiarum simulachra collocare solebant, quod gratiam & fauorem præcipuè desideret sermo, ut sibi conciliet hominum animos. Auctor Plutarchus in libello de Auditoris officio.

11. Quatuor angulis nitens tessera.) Cubus siue tessera Euclidi est figura ex omni latere quadrata, quam Pythagoras & Plato in Timæo tribuunt terræ, propter immotam ipsius stabilitatem. Vide Plutar. extremo commentario de primo frigido.

12. Videbis & Cræsum.) Opulentia Cræsi Lydorum Regis in prouerbiū abiit, præsertim nobilitata dicto Solonis, de quo Iuuenalis, Et Cræsum quem vox iusti facunda Solonis Respicere ad longæ iussit spatia Vltima vitæ. quæ sententia expenditur ab Aristotele lib. 1. Ethicorum, cap. 10.

13. Polycratem Samium.) Polycrates Samiorum tyrannus, opibus & felicitate apud historicos insignis, annulum habuisse

habuisse fertur incredibilis pretij, sibi que charissimum, quem, ut nimis blandientem fortunam temperaret aliqua aduersitate, in mare abiicit. Eum tamen postea in ventre piscis inuentum recuperavit. Huic, quoad vixit, nihil aduersi contigisse fertur. Sed mors infamis & arumosa docuit, neminem ante obitum merito dici posse felicem. Fuit enim ab Oronte Satrapa Persarum captus suspensusque. Vide Herodotum in Thalia, & Strabonem lib. 14. Huius item meminit Tullius libro quinto de finibus bonorum & malorum. De Cyro Persarum Medorumque Rege à Tomyride Massagetarum regina capto & interfecto, multa Herodotus lib. 1. multa quoque Iustinus, Xenophon, & Diogenes Laertius.

14. Dionysium Corinthi ) Dionysius tyrannus regno expulsus, Corinthi ludum literarium aperuit. Hic cuidam dicenti, Quid tibi Plato & philosophia profuit? Ut tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram.

15. Monumentorum perfossores. ) Tanta fuit apud Veteres sepultura religio, & sepulchrorum immunitas, ut legibus duodecim tabularum poena capitalis constituta fuerit violatoribus sepulchrorum. Itaque probro datum est Romanis principibus, quod suffossus Corinthiorum monumentis, ara Corinthia sustulerint: ipso etiam vocabulo rei turpitudinem exprobrante. Nam ad eum sublata modum, *νεκροπορία* dicta sunt. Vide Strabonem, Lib. 8. & Calium, Lib. II. cap. 60.

16. Literatores. ) Differt Grammaticus à Grammatista, ut literatus à literatore: tanquam Grammaticus absolute & perfecte doctus sit: (Grammatici enim sibi de omni genere scriptorum iudicandi sumebant potestatem, unde etiam à Veteribus Critici dicti sunt) Grammatista verò, siue literator, mediocriter eruditus. Vide Suetonium in libello de claris Grammaticis. Grammaticos tamen interdum literatos vocari, auctor est Messala Corvinus, id est, poetarum interpretes, quo modo vocat Catullus Syllam literatorem, id est, poetarum interpretem: Ad Calium,

Munus dat tibi Sylla litterator.

D. iij

ab le. di. J  
Cicero. I.  
Tuscul.

17. Ad Deum communem vertant oculos. ) Legendum *κοινόν, non κοινόν*, ut ad Deum referatur. Vide proverbium, communis Mercurius, & *ἑπὶ τοῦ θεοῦ*, id est, Sequere Deum, quod est, Obtempera rationi, auctore Plutarcho in libello de audiendo.

18. Aristippus igitur. ) Idem refert Vitruvius lib. 6. de Architectura, addens Aristippum tunc venisse Rhodum. Alij hoc dictum Aristheni tribuunt.

19. Quis Oedipum vagantem. ) Verba sunt Oedipi extorris & exulis, & Tragedia Sophoclis Oedipo Colonaō. Oedipus enim simulatque cognovit se & parricidam esse & cum matre consuetudinem habuisse, sibi oculos eruit, reque cognita eius loci incolis, ab ijs vrbe expulsus est. Qui in exilium abiens, Colonom, qui locus est editus non procul ab Athenis, commigravit. Vnde Sophocles Tragediam de Oedipi calamitatibus conscriptam, Oedipū Colonaum appellavit.

20. Oves onustas aureo vellere. ) Ouium ingenium, ut ait Aristoteles, simplex ac stultum est, & omnium quadrupedum inertissimum, cum & interdum in loca deserta prorepat nulla de causa, & sepe numero septis egrediatur foras, ibique à niuibz occupatum pereat, nisi pastor adducto mare, compellat illinc exire.

21. Publico singularum ciuitatum nomismati. ) Cum ante proci sum nomisma homines mutuo permutationis commercio uterentur, postea lege introductus est usus nummi, ἀπὸ τοῦ νόμου, id est, à lege dicti, qui & nota publica signabatur, ut apud

Plinius lib. 18. cap. 3. Romanos ouium ac bouum effigie : apud Athenienses, noctua & facie Minervæ. Quod declarat Plutarchus in Vita Lysandri, cum serui cuiusdam meminit, qui domini sui furtum ἀνιματικῶς indicans ait, Multas sub regulis cubare noctuas, ostendens illic abditas pecunias noctuis insignitas.

22. An non te in altum generis euexit decus? ) Versus Euripidis in Phenissis, quos citat Plutarchus extremo libro de exilio. Sunt autem verba Iocaste Polynicen commonentis, quod ex natalium splendore, quamvis exul, regis nuptijs dignus habitus sit, tantisque viribus & amicorum auxiliariis copijs suffultus, expeditionem fecerit, quantis paulo post ipse fateatur. Cui contra Polynices

Polynices, *Malum est, inquit, egere: non aluit me genus. Accusat enim exilium, ut potè quod & consanguineis sit contemptui, & amicis careat. Prior versus cum interrogatione legendus est: in posteriore legèdum, καὶ τὸ μὴ ἔχον, pro μὴ ἔχον, per apharesin.*

23. *Vt inquit Plato.) In Menexeno. Σεβείλου autem legèdum non Σεβείως, ex A Iliados, unde hic versus desumptus est.*

24. *At ego, inquit.) Legendum Græcè, ἀλλ' ἐγὼ εἰς ἀπ' ἐμῶν εἶμι, ἀπ' αὐτῶν τοῦ γένους, At ego posteris meis auctor ero generis. Aliter apud Ciceronem in Catone maiore Themistocles Seriphio cuidam in iurgio respondit: Nec hercule, si ego Seriphius essem, nobilis essem: nec si tu Atheniensis esses, clarus unquam fuisses. Vide Plutarch. in Themistocle.*

25. *Quin & Athenarum.) Thucydides initio historiæ docet Thessaliam, Bœotiam, & Peloponnesum, propter bonitatem solitum seditionibus, tum alienigenarum insidijs fuisse obnoxias: cōtrὰ Ἀττικὰν ob soli tenuitatem diutissime expertem seditionis permansisse, & ab iisdem semper hominibus fuisse habitatam. χερσὶν αἰσὶν Ἀθηνῶν, hoc est, sterilibus in Athenis, inquit Pindarus.*

26. *Hyperbolum & Cleonem.) homines improbißimos atque sceleratissimos, quorum ille vitio linguæ petulantissimus fuit: hic ex coriario creatus dux exercitus, victoriam reportavit capta Pylo, suamque ipsius civitatem furto spoliavit. Atque ad eum modum ad summas opes euectus, tandem ab alio expulsus, pœnas dedit suæ improbitatis.*

27. *Quondam Bœotos vocabant sues, inquit Pindarus.) Citatur à Pindari interprete hic versus ex Dithyrambis Pindari hoc modo, ἢν ὅτε οὐκας τὸ βοιωτικὸν ἔθνος ἔλεγον: cuius prouerbij originem vide apud eundem interpretem, & Erasmus in adagio, Bœotica sus.*

28. *Quin & legislatorem illum Atheniensem.) Solon vetuit Athenis parentem alimonix ius à filio petere, quem nullam artem docuisset. Lycurgus autem apud Lacedæmonios instituit, ut quisquis ciuium, institutionem puerorum negligeret, ciuitatis iuribus priuaretur. Auctor Plutarchus in vita Solonis, & in institutis Laconicis.*

29. Cùm enim id potissimùm temporis. ) *Legendum puto Græcè, τέχνης γὰρ ἀπάσης* : & paulo post, τῷ γὰρ λοιδορεῖνται, non λοιδορεῖνταις, id est, senectutem incusant.
30. Vecors intelligit acta. ) *Sumptū ex Homero Iliad. π & v. Eodem pertinent sententia illa prouerbiales, Malo accepto stultus sapit, Piscator ictus sapiet, &c., Serò sapiunt Phryges.*
31. Quin tu coniugij tractas mulcentia facta. ) *Verba sunt Iouis ad Venerem Iliad. ε, quibus illi rebus bellicis interdicit, ut nihil ad eam pertinentibus : nuptiarum autem & geniales eam curare iubet.*
32. Ito domum, & tracta. ) *Verba Hectoris ad Andromachen Iliad. ζ. monentis eam, ut domestica curet, neque rerum bellicarum ad solos viros pertinentium satagat. Quod de Nireo addit, sumptum ex Iliad. ε. in Catalogo navium.*
33. Iuxta vetus præceptum. ) *Socratis videlicet, cuius meminit & Plutarchus in præceptis connubialibus. Huic non absimile est, quod Diogenes Cynicus respondit adolescenti cuidam insigni forma, fœdum quiddam atque obscœnum dicenti, Ex eburna vagina plumbeum gladium educis.*
34. Est alius cui forma parum sit corpore felix. ) *Verba sunt Vlyssis ad Euryalum, Odyf. θ. qui Vlysses dictæriis incessens prædoni & nautæ comparauerat. Succenset ergò Vlysses importuno Euryalo, docetque Deos hominibus dotes variè distribuere, atque his quidem formam parum felicem largiri, sed eloquentia & dicendi vi ornatam : illis verò formam corporis egregiam, sed sine doctrina & eruditione. In Homero legitur, ἄλλος μὲν γὰρ τ' ἄδδς. &c.*
35. Ceu pulchrum quendam Epodum. ) *Epodus propriè carmen minus est, quod post duo maiora strophen & antistrophen in hymnis Deorum stantes ante aram canebant. Hæc enim trias oribus Lyricorum familiaris est : strophe siue conuersio, cui ex altera parte respondet antistrophe, id est, reuersio. quibus ἐπώδης sua accinitur. Dicuntur etiam ἐπώδδῃ versus breuiores, qui longioribus alternatim subiiciuntur, quorum inuentionem Archilocho tribuit Victorinus, quem imitatur in Epodis Horatius. Hoc autem Diogenis factum, quod tamen alij Aristippo tribuunt, ut ait Laertius lib. 2. pulchrum*

pulchrum quendam Epodum appellat Galenus, quia eo concludit, spretis rebus fortuitis, liberalium artium studia ab adolescentibus esse excolenda. Eodem modo nomen ἐποδὸν traduxit ad extremum suum librum de usu partium, qui quoniam tot ac tanta perfecti operis commoda explicat, in eoque consistit, ab eo ὡς περ ἀγαθός τις ἐποδός, id est, velut bonus quidam Epodus appellatur.

36. Quibus artibus nullus propositus est finis ad vitam utilis. ) Nam omnis ars, omnis doctrina, omnis actio, omne studium & institutum ad bonum aliquod refertur, ut ait Aristoteles initio libri primi Ethicorum: Vbi notandum, bonum & finem conuerti, hoc est, alterum pro altero sumi: ut idem docet lib. 4. Metaphys. cap. 2. & Galenus lib. ad Thrasybulum, quo querit, Vtrum medicina an gymnastica sit tueri valetudinem, Vbi & hunc locum fusius explicat.

37. Veluti Petauristam esse. ) Legendum puto πεταυριστήν, non πεταυριστήν. Petaurista, teste Nonio, dicebantur à veteribus, qui saltibus leuioribus mouerentur, à verbo πεταῖον, quod est volare. Festus à petauro appellatos esse dicit. Est autem petaurum machina lignea, qua homines rotarum pulsu per aera iactabantur. Martialis lib. 11. Quam rota transmissa toties impacta petauro. Et Iuuenalis Satyra 14.

An magis oblectant animum iactata petauro Corpora?

38. Non caligantem. ) Legendum, μὴ σκοτούμενον. Sivos, Vertigo est, σκοτός, tenebricosa vertigo, cum caput circumagi videtur, & tenebrae oculis obuersantur. Vtraque affectio fit ab inordinata spiritus flatuosi crudique motione.

39. Et qualia Myrmeciadae Atheniensis & Callicratis Lacedaemonij opera fuere. ) Scribendum, οἷον. Fuit autem Myrmeciades, siue, ut Plinius, Myrmecides, insignis sculpendi eboris artifex, qui quadrigam ex ebore confecit tam minutam, ut muscae alis cum agitatore tegetetur: & nauim, quam apicula pinnis absconderet. De quo Tullius lib. 4. Acad. quæst. ut etiam inter Deos Myrmecides minutorum opusculorum fabricator fuisse videatur. Callicrates itidem sculptor, formicas & id genus animalcula minora tam parua fecit ex ebore, ut earum partes cerni non possent. Vtriusque studia ad μακροπροσέχον refert Galenus, de qua vide eiusdem li-

Lib. 36. cap. 5. & 8.

E

brum ad Thrasymbulum.

40. Tantum Athletarum. ) Sequitur ultimus locus contra Athletas, quorum studia & exercitia ita damnat & vituperat, ut ab Athletis tria bonorum genera, nempe animi, corporis & fortune auferat. Per Athletas autem intelliguntur ij, qui non quomodolibet exercentur fodiendo, arando, metendo, aut aliud huiusmodi opus faciendo, sed ij quorum unicum hoc est vitæ institutum, ut in lucta aduersarios vincant & deiiciant: cuiusmodi sunt Luctatores, cursores, pugiles, discum in sublime iaculantes, & saltus pernicitate contententes: qui Græcè dicuntur, auctore Iulio Polluce, παλαιστῆς, ἀρομῆς, πυκτῆς, δισκοβόλοι καὶ ἄλτιναι. Eosdem generali nomine ab exercitatione γυμναστικῆς vocat Hippocrates. Vide &

Aph. 3. lib. 1.

Galenī lib. ad Thrasymbulum.

41. Publicitus etiam apud maiores. ) Vitruuius in præfatione lib. noni de Archit. tradit nobilibus Athletis maiores Græcorum præter alia constituisse, ut vectigalibus è Rep. constitutis perpetua vita fruerebuntur. publicè quoque alebantur in Prytaneo, qui præclarè de Rep. essent meriti, teste Socrate, qui cum à Iudicibus interrogaretur, quæ poena dignum se existimaret, respondit se meruisse, ut amplissimis honoribus & præmiis donaretur, & ut sibi victus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur.

42. Dignati sumus diuinis honoribus. ) Quæ ad hunc locum pertinent, studiosè collegit Erasmus in prouerbio, Homo homini Deus.

43. Huc aduenisti ad mea ditia templa Lycurge. ) Lycurgus ille nobilis Spartiata, ut Remp. suæ ciuitatis salubribus legibus constitueret, conscriptis ijs, quæ longa peregrinatione didicerat utilia fore ciuitati, Delphos sese contulit, ut Dei quoque consilium in re sanctissima exploraret. Cumque Pythia consilium eius à Phæbo maximè probari, Deique potius quàm hominis inuentum esse respondisset, alacrior ad peragendum institutum factus, foro aliquot armatis occupato, leges suas perfert. Vide Plutar. in eius vita, & Herodotum lib. 1. Vbi pro ἡ ἀνθρώπων, legitur, καὶ καὶ ἀνθρώπων.

44. Archilochum. ) Poetam Lyricum, cuius mordacitas vulgo celebratissima fuit. Horatius, Parios ego primus Iambos, ostendi latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.

Lib. 1. Epist.  
19.

45. Inqu-

45. Innumera cum sint mala per omnem Græciam.) Euripidis sententia de *Athletis*, petita ex primo *Autolyco*, citante *Athenæo* lib. 17. Primum in domi sibi consulunt parum bene. Græcè legendum, οἱ πρῶτον οἰκεῖν οὐδὲ μὲν θάρονται ἐν, οὐτ' ἂν διαίοντο. Et paulò post, εἰς τ' ἀμύχανον, vel εἰς τ' ἀμύχανα, non ἀμύχανον.

46. Affectio Athletica non est secundum naturam.) Quoniam *Athleta* immodico cibo & immoderata exercitatione, carnis molem corpori adiungunt, & humorum quoque cumulant copiam: necessariò fit, ut eiusmodi corporis affectio sit periculosa. Tunc enim periculum adfertur, ne aut vasa ipsa, supra modum repleta, rumpantur, aut extincto calore nativo, mors sequatur repentina. Vide côm. Gal. in aphor. 3. lib. 1. Caterùm locus iste desumptus est ex lib. Hippocratis de *Alimento*, idemque explicatus à Galeno lib. ad *Thrasibulum*.

47. Ut singuli per vices conuiuiis imperarent quæ vellent.) *Plutarchus* *Symposiacôn* decade prima, problemate 4. docet *Symposiarcham*, id est, conuiuij regem & magistrum ac modiperatorem, ut vocant *Nonius* & *Varro*, ijs tantum sermonibus, spectaculis, ludisque dare locum debere, qui ad proprium *Symposij* finem spectant, cuiusmodi sunt res seriæ & vtilis, multa venustate & hilaritate conditæ. Tale fuit *Phrynæ* meretriculæ factum, quod hîc refertur. Est autem Græcè legendum, ὁ δὲν οὐδὲ τὸ τῆς φρόνης ἀκρίβειαν.

48. Habent animam veluti multo immerfam cœno.) Corpore saginato alimentisque suffarcinato, necesse est animi lucem in rebus obscuris indagandis hebescere, conturbari, errare & vagari. Contrà ἀνὰ ξηρὰ, ψυχὴ φωτεινὴ, inquit *Heraclitus*, hoc est, splendor siccus, animus prudentissimus, quasi dicat, Sicco lumini sapiens animus similis est. Vide *Plutarchum* comment. priore de *Esu* carniū, & *Galenum* libro, Quod animi mores sequantur temperamentum corporis.

49. Summè bonam corporis habitudinē periculofam esse.) *Εὐεξία* duplex est, vna salubris & naturalis, altera Athletica, quam periculofam esse tradit *Hippocrates*, cum ad summum sit plenitudinis gradum perducta, id est, cum vasa ipsa humoribus sic expleta sunt, ut plura citra vitæ discrimen capere non possint, quemadmodum supra annotauimus.

E ij

50. Sanitatis studium est non satiari cibis & impigrum esse ad labores.) Cum ad satietatem usque cibus ingeritur, ut viribus grauat, à natura concoqui non possit, morbum procreat, pristina sanitate destructa. Contrà fit, si mediocritas in cibis assumendis observetur. Eadem est ratio exercitationum, quibus si quis rectè usus fuerit, plurima commoda hinc consequetur. Nam ex instrumentalium partium per mutuum ipsarum attritum duritie, comparabitur tum ad edendas actiones robur, tum consueti exercitij ferendi facilitas: ex caloris augmento, concoctio fiet & distributio felicior: ex valètiore deniq; & citatiore motu spiritus, meatuum expurgatio, atque expulsio excrementorum. Secus fit in otio & desidiosa vita. Porro sumpta est hæc sententia ex lib. 6. τὼν ἐπιδημειῶν, sectione 4. aphor. 20. ὅτι πόνος, id est, labor, ἀπὸ τοῦ γυμνασίου, hoc est, pro exercitio, usurpatur. Ut & aphor. 49. lib. 2. & multis aliis in locis. Erasmus legit πάντων pro πόνων.

Aphor. 49.  
lib. 2.

51. Senis illius.) παλαιὸς hoc loco & ætatis & eruditionis est prærogativa, qua Hippocratem intelligit Galenus, ut & comment. in aphor. 8. lib. 1.

52. Labores, cibi, potus, somni, venus, omnia mediocria.) His verbis & modum ipsum singulorum definiuit Hippocrates, addito ad finem dictionis epitheto, mediocria: & tempus æquè signauit ipso sermonis ordine. Hanc sententiam Hippocratis, sumptam ex lib. 6. τὼν ἐπιδημ. sect. 6. aphor. 5. fusiùs explicat Galenus initio lib. 2. sanitatis tuendæ.

Lib. ultimo  
politicorum.

53. Et ingurgitant sese nonnūquam & vi.) Vnde ἀναγκαστικῶν appposito nomine appellat Aristoteles rationem victus Athletici, quasi dicas, cibi sumendi necessitatem.

54. Dormibant reliqui Diuique hominesq;.) Parodia est ex Iliad. β. qua paucis mutatis, quæ de Ioue dicebantur, Athletis accommodat, & in eos detorquet.

Côm. in lib.  
2. prognost.

55. Iuxta naturam viuentes.) Temporibus Hippocratis, inquit Galenus, non aliud fuit è more viuere, quàm è natura viuere. Nunc verò plerique morem illum maiorum immutant. Vnde exclamat Iuuen. saty. 8. Si dormire incipis ortu Luciferi, quo signa duces & castra mouebant. Somnus autem non modò spiritus labore vigilijsq; dissipatos restituit, membrorumque ac sensuum defatigationem

tigationem tollit, verumetiam naturales functiones, maximèque concoctionem & retentionem corroborat: cùmque ἀναλογία esse debeat inter cibum & somnum, ut videlicet somni mensura ad proportionem alimento, quod ingestum est, respondeat, Athletæ verò ad mediam usque noctem sese cibis ingurgitent: necesse est ut in multam lucem stertant, & tum demum surgant à somno, cùm ceteri iuxta naturæ præscriptum viuentes, ab opere redeunt, & cibum requirunt. Reponendum in Græco, ἀπὸ τῶν ἔργων ἡκουσιν, προΐξουσιν.

56. Et Rhododaphnis eorum terga perficantur. ) Ex Rhododaphnes siue Rhododendri fruticis (officinis Oleander dicitur) lentis & flexilibus ramis, rudes & virgulæ fiebant, quibus gymnastæ suos Athletas, qui nudi certabant, perstringebant, si fortè aut ex arena fugerent, aut alioqui suo officio minus rectè fungeretur.

57. Omne nimium naturæ inimicum. ) Naturæ substantia in symmetria, id est, certa & commoda elementorum proportionem consistit: quam cùm omne nimium corrumpat ac labefactet, idem quoque animantis constitutionem resoluat, necesse est. aphor. 51. lib. 2.

58. Affectio Athletica. ) Medicis δῖα θεός, id est affectus, appellatur, non ea quidem præcisa argutæque significatione, quam Aristoteles in Categorijs usurpauit, sed admodum ampla & multiplici verbi potestate, quæ omnem corporis constitutionem contineat, siue in substantia, siue in qualitate & in tēperamento, siue in conformatione & figura, siue in magnitudine, siue in numero ea consistat. Differt autem ab habitu, quòd hic stabilis sit ac perpetuus, ille affectus inconstans & mutabilis.

59. Neque enim recipit accessionem. ) Cùm natura semper coctionem alimenti, distributionem, in sanguinem mutationem, adiectionem, agglutinationem & assimilationem moliatur, quando nihil adijci potest solidis corporis partibus, & referræ venæ non habet iam, quo distributum alimentū recipiant, tum necessario periculum imminet, ne aut ipsæ venæ rumpantur, aut extinguatur calor nativus. Ut igitur in corpore alter sit nutritioni locus, plenior illam habitudinem oportet sine mora per euacuationem solvere. Aphor. 3. lib. 1. Cornelius Celsus, Si plenior, inquit, aliquis & speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere sua bona debet: quæ quia neque

Lib. 2. cap. 2.

quasi ruina reuoluuntur.

60. A Litis illis Homericis. ) *Homerus Ili. ἰώτα, Aten Deam fingit, quæ noxas ac turbas soleat immittere rebus mortalium, acribus oculis, ac velocissimis pedibus præditam. Post eam autem longo intervallo consequi Litas Deas, quæ quod Ate turbauerit, sarcire moliantur. Has & strabis oculis facit, & pedibus claudis, hac fabula declarans, offensas esse citas, reconciliationes tardas, & difficilius esse sarcire concordiam, quàm rumpere. Citatur & hic locus Homeri à Galeno lib. de exercitatione parvæ pile, ubi in Græco desideratur dictio λιτώ.*

61. Complentur destillationibus. ) *Hoc est, tenuibus humoribus, qui ex oculis profluunt nobis nolentibus, & à lachrymis hoc solum differunt, quòd lachrymæ ferè semper voluntariè fluant. Hanc destillationem ἐπιφορὰν alio nomine vocant Medici.*

62. Articulorum compages vt frequenter intortæ. ) *λιγυσμός est artium contorsio, confractio & luxatio. Est enim λιγύζην idem quod ῥέφην, κάμπην ἢ κλάζην. Vnde per metaphoram pro Vincere apud Theocritum Idyl. 1.*

Lib. 2. de  
morb. causis.

62. Quævis ruptio ac diuulsio. ) *ῥήγμα, siue ruptio, auctore Galeno, solutio est carnosæ partis: σπασμός, id est, diuulsio, est unitatis solutio in nervosa parte, utrunque citra vulnerationem: ῥήγμα in carne, σπασμός in nervis.*

63. Velut ab vno fonte ) *Scribendum Græcè, ἀπὸ πηγῆς μιᾶς, ab vno fonte, hoc est, ab vno principio, ab vna origine. Cicero lib. 3. offic. Qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium. Erasmus legit, ἀπὸ γῆς μιᾶς.*

64. Gymnastæ quicos curandos susceperant. ) *Gymnastes vocabatur, qui gymnasio præerat, id est, loco publico, quo Athletæ luctaturi, discum iacturi, aut aliud quippiam tale facturi conueniebant. Gymnastice pars est Medicinæ, sanitatem exercitatione mediocri conservans, non molem corpori adiiciens, qua aduersarij prosternantur in certaminibus: quod facit vitiosa illa gymnastice Athletis propria, de qua abundè Galenus libro ad Thrasylbulum.*

65. Quos ad pancratium aut pugilum certamen. ) *Pancratium certaminis genus fuit, ex pugilatu & lucta compositum, sic dictū, quòd totius corporis viribus connixi pancratiastæ certarent: Pugilatus*

*Pugilatus erat, cum plagatum castibus tum pugnis inferrentur. Paulò post legendum Græcè, ὅταν δὲ καὶ τῶν μιλῶν τι, & μοχ, τοῦτο γὰρ, εὐ οἶδ', ἐν φήσουσι.*

66. Num ad agricolationem?) *Plato lib. 3. de Rep. ait Athletarum habitum inutilem esse ad omnia civilia negotia. Galenus lib. ad Thra. Athletas comparat Epeio Homérico, strenuo quidem pugili, sed ad fyb. cetera vitæ officia ignauissimo. Græcè legendum, ἢ περὶ ζῆν, ἢ ἀροῦν, ἢ τι τῶν ἄλλων. &c.*

67. Pueris nuper natis.) *Scribendum Græcè, νεογνῶν παιδῶν: & μοχ, οὐ γὰρ δὴ πού ὅτι τοὺς σκυτοτόμους. &c.*

68. Coturnicibus & perdicibus.) *Sunt enim ὄρνιθες κονιστικοί, quæ sese in pulvere volutant, Arist. lib. 9. de historia animal. & Plinius lib. 10. cap. 33. scribunt perdices instante aucupe gleba & facie sese operire. Plutarchus quoque lib. de industria animalium, ait perdices pullos, quantisper fugitare per etatem non licet, assuefacere, ut quoties venator instat, supini sternant sese, gleba & facie corpori super ingestis. Ceterum quod Athletas dicit toto die pulverescere, referri potest vel ad pulverem quo sordidabantur, qui certabant in Olympijs, vel ad ἀπλὴν, hoc est, pulveris contactum, quo se inspergebant luctatores post vñctionem, ut mutuas præhensiones admitterent. Nam duo tantum memorantur, qui ἀκαρτῇ, hoc est, sine pulvere vicerint.*

69. Interpretatus est oraculum.) *De muro ligneo, quo significabatur prælio navali esse decertandum apud Salamina: ubi Xerxes à Themistocle superatus est. Vide Herodotum lib. 7. & Plutarc. in Themistocle.*

70. Quod si quis dicat voluptatem corporis inter bona numerandam.) *Triplex fuit veterum philosophorum opinio de voluptate: prima eorum qui nullam voluptatem bonum esse censebant, neque propter se, neque propter aliud. Altera eorum qui nonnullas in bonis numerabant, multas in malis. Tertia erat sententia eorum, qui asserebant, etsi omnes in bonis essent, tamen non posse summum bonum in voluptate numerari. Vide Aristot. lib. 7. Ethic. cap. 11. & 12. Non est, inquit Cicero, necesse, tanquam meretricem in matronarum cætum, sic voluptatem in virtutum concilium abducere.*

Lib. 2. de finib. bon. & mal.

## FED. IAMOTII ANNOT.

71. Prima diuisione. ) *Artium prima diuifio est in liberales & mechanicas: secunda in θεωρητικὰς, siue λογικὰς, id est, in inspectione ac aestimatione rerum positas, qualis est astrologia: in πρακτικὰς, quæ in agendo sitæ sunt, nihilque operis post actum relinquunt, vt saltatio & Musica: & in ποιητικὰς, id est, effectrices, quæ opus, quod oculis subicitur, post actum relinquunt, vt pictura. Galenus quartam etiam addit κρητικὴν, quæ non est in opere, sed in rei alicuius adeptione, cuiusmodi est venatoria.*

F I N I S.

## Federici Morelli Hendecasyllabum.

*En Iamotius Æsculapius fit,  
 Altérue Hippocrates suo Galeno:  
 Ægris nec dedit artibus salutem,  
 Læsis sed tulit Artibus medelam.*

## Summa Priuilegij Regis Galliarum.

**H**ENRICI III. Galliarum & Poloniae Regis priuilegio sancitum est, ne quis Typographus excudere, Bibliopolæ diuēdere audeat ante octo annos Galeni Paraphrasin in Menodoti Exhortationem ad liberalium Artium studia, ex Erasmi interpretatione à Federico Iamotio Medico recognita & annotationibus illustrata, præter Federicum Morellum Typographum regium, cuius typis, opera & diligētia excusa fuit. Qui secus fecerit, libris & pœna in sanctione æstimata multabitur, vt fusius Regio diplomate continetur: dato Parisiis, 5. Nouembris, anno 1583. subsignato, per Consilium,

D A N E S.